

## Le traité « De usuris » de Nicolas de Dresde\*

32. 1°. Alia per modum incidentis formatur hic questio de illo qui emit annuos redditus vel affictus pro certo precio, utrum sūt licitum. Et concedit INNOCENTIUS eam veram esse in redditibus vel affictu iam creato. Non autem est licitum in ipsa empicione creare novum affictum, seu redditum pro annuo precio<sup>251</sup>. [D, 225<sup>ra</sup>] Racio autem diversitatis non videtur. Si enim quantum ad novum creandum non valet, quare in creato valeret? Ideo communiter alii dicunt quod non licet, quia pecunia parit pecuniam et negari non potest quin post longa tempora plus sit percepturus quam sit precium solutum. Et de ista materia plenius videbitur infra, in fine, in q. an liceat alicui emere redditus ad vitam vel in perpetuum.

33. 2°. Per hoc solvit GOFFREDUS in *Summa*, titulo *De usuris*, aliam questionem, cum queritur: *Quid de quibusdam qui dant pecuniam ecclesiis et ab eis recipiunt certas possessiones tenendas toto tempore vite sue, quibus utantur et fruuntur in vita sua, et post mortem eorum ad ecclesias redeant, pecunia apud ecclesiam manente. Numquid licitus est contractus*<sup>252</sup>? Videtur quod sic, propter condicionis incertum. C. *De pactis*, lege 1<sup>a</sup><sup>253</sup> et dubium

\* Voir la première partie *Rech. Théol. anc. méd.* 44 (1977) 150-210.

251. INNOCENTII IV *In quinque* ..., super tertio, rubrica XXXIX, c. 3, p. 532<sup>b</sup>: «SUMMARIUM: *Novus census, vel consuetudo nova non potest in ecclesia poni absque consensu episcopi. CAPITULUM III. Scientes (Imponere) vel quod sacerdos haberet in monasterio, vel monasterium in sacerdote, vel quod alii haberent in monasterio (Permittas) est enim ad hoc episcopi consensus necessarius sup. de praeb. c. avaritiae et c. de mona.*»

252. G. DE TRANO, *Summa* ..., c. *De usuris*, f° 214<sup>va</sup>.

253. *Digestorum* l. II, tit. XIV, lex 1 (*CJCI*, I, 56): «ULPIANUS, *libro quarto ad edictum*. Huius edicti aequitas naturalis est. Quid enim tam congruum fidei humanae, quam ea quae inter eos placuerunt servare? Pactum autem a pactione dicitur (inde etiam pacis nomen appellatum est) et est pactio duorum pluriumve in idem placitum et consensus conventionis verbum generale est ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique causa consentiunt qui inter se agunt; nam sicuti convenire dicuntur qui ex diversis locis in unum locum colliguntur et veniunt, ita et qui ex diversis animi motibus in unum consentiunt, id est in unam sententiam decurrunt, adeo autem conventionis nomen generale est, ut eleganter dicat Pedius nullum esse contractum, nullam obligationem, quae non habeat in se conventionem, sive in re sive verbis fiat; nam et stipulatio quae verbis fit, nisi habeat consensum, nulla est. Sed conventionum pleraeque in aliud nomen transeunt: veluti in emptionem, in locationem, in pignus, vel in stipulationem».

204<sup>2</sup>

} nulla  
propter h.

12

mortalitatis eventum, nam et alias propter dubium excusatur usura, ut *Extra* [G, 115<sup>r</sup>] *De usuris*, *In civitate*<sup>254</sup> et c. *Naviganti*<sup>255</sup>. *Sed puto*, dicit GOFFREDUS, *contrarium verum, eo quod homines sperant vivere, et sic taliter contrahentes credunt se amplius percepturos de possessionum proventibus quam sit pecunia quam dederunt. Et sicut dictum est, sola spe contrahitur vicium usurarum*. Hec GOFFREDUS<sup>256</sup>. Et dicit RAY quod etiam colligitur *presumpcio ex etate et sanitate ex quibus potest haberi presumpcio utrum multum vel parum debeat vivere*<sup>257</sup>. Ita etiam quod, licet fuerit pura vendicio [F, 137<sup>r</sup>] et recta intencio, nec fuerit dolus adhibitus, racione quorum excusatur ab usura, tamen ecclesia esset decepta. Debet remove deceptionem, vel supplendo iustum precium, vel restituendo rem, precio quod mutuavit sibi reddito. *Extra, De empcione et vendicione, Cum dilecti*<sup>258</sup>. Fiet autem estimacio depectionis, non secundum presens, in quo forte res multum meliorata est, presertim si per industriam emptoris<sup>e</sup>, sed secundum tempora in quo vendicio facta fuit, ut *Extra, De empcione et vendicione, Cum causa*<sup>259</sup>. Item non tenetur fructus quos percepit medio tempore computare

<sup>e</sup> emptoris om. G

254. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XIX, c. 6 (FRIEDBERG, II, 813): «ALEXANDER III: In civitate tua dicis saepe contingere quod, quum quidam piper, seu cinamomum, seu alias merces comparant, quae tunc ultra quinque libras non valent, et promittunt per publicum instrumentum, se illis a quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licet autem contractus huiusmodi ex tali forma possit censi nomine usurarum, nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus minusve solutionis tempore valituras. Et ideo cives tui saluti suae bene consulerent, si a tali contractu cessarent, quum cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari».

255. *Ibid.*, c. 19 (FRIEDBERG, II, 816): «GREGORIUS IX: Naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, pro eo, quod nascipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque qui dat X solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini vel olei mensurae reddantur, quae licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valiturae, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione huius dubii etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum vel alias merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus».

256. G. DE TRANO, *Summa*..., p. 214<sup>va</sup>.

257. R. DE PEÑAFORT, *Summa*, l. II, c. *De usuris et pignoribus*, § 8, p. 234<sup>b</sup>.

258. *Decret. Greg. IX*, l. III, tit. XVII, c. 3 (FRIEDBERG, II, 518-519): «ALEXANDER III: ... Quia vero in arbitrio emptoris est, si velit supplere iustum pretium, aut venditionem rescindere, quum res minus dimidia iusti pretii comparatur: sententiam ipsam tanquam iuri contrariam irritantes, possessionem monachis iudicavimus esse redendam, salva *omni* quaestione canonicis super deceptione pretii, vel consensu capituli in venditione non habito, et alia causa rationabili, quam canonici contra monachos duxerint proponendam».

259. *Ibid.*, c. 6 (FRIEDBERG, II, 520): «INNOCENTIUS III: ... nos, intellectus rationibus utriusque partis, et attestacionibus diligenter inspectis, quum constitisset

in precio. Excusatur enim propter bonam fidem et iustum titulum et similia, ut *Extra, De rebus ecclesie alienandis, Ad nostram*<sup>260</sup>, XII, q. II, *Volateranae*<sup>261</sup> et *Extra, De restitutione in integrum, Requisivit*<sup>262</sup>.

34. 3°. Item dicit GOFFREDUS<sup>263</sup>: Si quis dederit unam possessionem ecclesie et receperit aliam equivalentem, usus et fructurus utraque in vita sua, deinde post mortem suam ambe ad ecclesiam cum pleno dominio revertantur, contractus iste licitus est. Est enim contractus pecuniarum. Ymmo in hoc casu licet recipere ab ecclesia possessionem in duplo valentem quam suam quam confert. Sed et si suam velit omnino in ecclesiam a presenti transferre et ipse non utatur et fruatur ea, poterit ab ecclesia possessionem in triplo valentem recipere ut X, q. II, *Precarie*<sup>264</sup>.

<sup>f</sup> Volateranae corr. Volteranensis

nobis, monasterium ipsum in praedictarum rerum venditione ultra dimidiam iusti pretii fuisse deceptum, sententiando decrevimus, ut praefati cives aut recepto pretio possessiones restituerent memoratas, aut supplerent quantum constaret legitimae venditionis tempore iusto pretio defuisse».

260. *Ibid.*, tit. XIII, c. 11 (FRIEDBERG, II, 515): «INNOCENTIUS III: ... mandamus ..., si praedictum monasterium propter hoc inveneritis enorme dispendium incurrisse, saepe dictum laicum, ut pecunia, quam pro exoneratione praedicti feudi, seu etiam pro utilitate ipsius monasterii expendisse noscitur, ab eisdem abbate et conventu recepta, quum sibi fructus percepti hactenus sufficere debeant pro labore, praefatum feudum eidem monasterio dimittat liberum et quietum, monitione praemissa per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, compellatis».

261. *DG*, pars 2a, causa XII, q. II, c. 25 (FRIEDBERG, I, 695): «GELASIUS, PAPA: Volateranae ecclesiae actus vel patrimonium quod hactenus comperimus destitutum, post dampnationem Eucharisti, quo fuerat depravante dispersum, curae vestrae decrevimus esse delegandum, ut diligentia... praedia culturae restituitis antiquae, revocetis si qua sunt vendita aut donata mancipia. Possessiones etiam quas... iure videritis teneri, quia contra constituta sinodi ab episcopis praedia alienari nullo potuerunt commento, nichilominus revocentur...».

262. *Decret. Greg. IX*, l. I, tit. XLI, c. 1 (FRIEDBERG, II, 222-223): «ALEXANDER III, PAPA: Requisivit a nobis tua fraternitas, quid agendum sit de possessionibus laicis sub modico censu concessis? Noveris itaque, quod, si ecclesia laesa est et manifeste apparet detrimentum ipsius, quum episcopo eiusdem ecclesiae conditionem facere deteriore non liceat, et ecclesia iure minoris debeat semper illaesa servari, quae in damnum eius data constiterit ad ipsius conventus ius proprietatemque redire. Providendum est tamen, ne, si forte coloni possessiones illas expensis ac labore suo reddiderint meliores, sumptibus, quos bona fide fecerunt, debeant defraudari».

263. G. DE TRANO, *Summa...*, p. 214<sup>vb</sup>.

264. *DG*, pars 2a, causa X, q. II, c. 4 (FRIEDBERG, I, 620-621): «*Concilium Mediomaticis*: Precariae a nemine de rebus ecclesiasticis fieri praesumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio, duplum accipiant ex rebus ecclesiae, in suo tantum qui dederunt, nomine, si res proprias et ecclesiasticas fructuario usu in suo tantum quis nomine sumat, quia sic eas quemque tractare, ut alienarum dispensatorem convenit, non propriarum largitorem. Decrevit etiam

35. 4°. Item querit RAY<sup>265</sup> de communitatibus quarumdam civitatum que dant pecuniam ad usuram. Numquid omnes [G, 115°] cives sunt usurarii propter hoc et, per consequens, in statu<sup>g</sup> dampnatorum? Responsio: Sic omnes quorum auctoritate fit vel consensu. Et idem si collegium aliquod accipit pignus in casu non concessio. Extra, De usuris, Conquestus<sup>266</sup> et argumentum VII, q. 1, Sicut vir<sup>267</sup> et XXIII, q. III, Si habes<sup>268</sup>. Hec RAY.

36. 5°. Querit eciam GOFF: Quid de prelatibus qui contractibus usurariorum subscribunt<sup>h</sup> et apponunt sigilla? Respondeo: participes sunt criminis usurarum, etsi non comodi, nam subscriptio in multis iuris articulis consensum et approbationem inducit, ut Extra, De re iudicata, Cum inter vos. Per hoc ergo layci credentes contractus huiusmodi per ecclesiam approbari, securius peccant et [D, 225<sup>rb</sup>] ideo de talibus dici potest « laqueus iuvenum omnes vos », ut secunda, questione septima, Paulus<sup>269</sup>. Hec GOFF<sup>1270</sup>.

<sup>g</sup> in statu om. G

<sup>h</sup> subscribunt corr. se subscribunt

<sup>i</sup> Goff ergo Digestis G

sancta sinodus, et imperialis auctoritas denunciatur, ut a nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus Deo et Sanctis dicatis, cum ratio et usus obtineat neminem cui non vult contra utilitatem et rationem cogi de proprio facere beneficium. §2. Nec commutationes rerum vel mancipiorum ecclesiasticorum quilibet persona sine licentia et regio consensu facere presumat ».

265. R. DE PEÑAFORT, *Summa*, l. II, c. De usuris et pignoribus, §15, p. 240<sup>b</sup>-241<sup>a</sup>.

266. *Decret. Greg. IX*, l. V, tit. XIX, c. 8 (FRIEDBERG, II, 813): « ALEXANDER III: Conquestus est nobis C., clericus praesentium lator, quod, licet de quadam terra, quam pater suus vobis obligavit, sortem vestram deductis expensis receperitis, terram tamen ipsam non sine derogatione vestrae salutis, honestatis et famae nihilominus detinetis. Inde est, quod Discretionem vestram per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus, si terram ipsam titulo pignoris detinetis, et de fructibus eius sortem vestram recepistis, predictam terram clerico memorato dilacione et appellatione cessante reddatis, et in pace et quiete dimittatis, nisi forte terra ipsa de feudo sit monasterii vestri ».

267. *DG*, pars 2a, causa VII, q. I, c. 11 (FRIEDBERG, I, 570). Le texte désigné par la référence n'a aucun rapport avec la question traitée.

268. *Ibid.*, causa XXIV, q. III, c. 1 (FRIEDBERG, I, 989-990). Emprunté à AUGUSTINI *Ep. CCL, ad Aurelium*, n<sup>o</sup>s 1-3 (*PL* 33, 1066-1067) et résumé par Gratien: « Ut ergo ex hac auctoritate evidentissime monstratur, illicite excommunicatur quis pro peccato alterius, neque aliqua ratione nituntur qui pro peccato unius in totam familiam sententiam ferunt excommunicationis. Illicita autem excommunicatio notatum non ledit, sed excommunicantem ».

269. *Decret. Greg. IX*, l. II, tit. XXVII, c. 13 (FRIEDBERG, II, 399): « INNOCENTIUS III: ... Quamvis forte dicto instrumento donationis non sit plurimum innitendum, nec confirmationibus, vel privilegiis quae de ipso causam et originem acceperunt, attendentes tamen, quod, quantum ad litigantes ipsos, ius ex sententia fuit, postquam in rem transiit iudicatam, etiamsi contra ius litigatoris lata fuisset, quum contra ius constitutionis expresse lata non fuerit, veritate gestorum sermonibus praevalet, quae praesumitur rite per omnia celebrata, statuimus et per sententiam diffinimus ut... »; *DG*, pars 2a, causa II, q. VII, c. 28 (FRIEDBERG, I, 491-492): « GREGORII, EP.: Paulus dicit: 'Seniorem ne increpaveris'. Sed hec eius

Quere  
1.83

225<sup>2</sup>

37. 6°. Et dicit idem quod, *quamvis de clericis loquantur canones, prohibentes usuras, auctoritas tamen, que ex sacra scriptura in eis inducitur, generalis est et habet locum tam in clericis quam in laycis*<sup>271</sup>. Unde dicitur, XIII, q. III: *Si quis oblitus timorem domini et sanctarum scripturarum que dicunt: « qui pecuniam suam non dedit ad usuram », post hanc cognitionem magni concilii feneraverit vel centesimam exegerit aut ex quolibet negocia turpis lucri [F, 137<sup>r</sup>] quesierit, aut per diversas species vini vel frugis vel cuiuslibet rei emendo vel vendendo aliqua incrementa susceperit, de gradu suo deiectus alienus habeatur a clero. Et c. precedenti ibidem dicitur: Canonum statutibus firmatum est ut quicumque in clero esse voluerit, emendi vilius et vendendi carius studio non utatur. Quod si exercere voluerit cohibeatur a clero*<sup>272</sup>. Concordat XLVII di., *Quoniam*, et sequitur: *aut aliquam adinventionem... vel aliquid tale prorsus cogitans turpis lucri gracia, deiciatur a clero et alienus existat a regula*<sup>273</sup> et XIII, q. III, dicitur: *Quicumque tempore messis vel vindemie non necessitate sed propter cupiditatem comparat annonam<sup>j</sup> vel vinum, verbi gracia de [G, 116<sup>f</sup>] duobus denariis comparat unum<sup>k</sup> modium vini et servat usque dum vendatur denariis quattuor aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus*<sup>274</sup>. Unde dicit BOECH super c. *Naviganti. Extra, De Usuris*: *Si emptor tempore messium dat precium ut certe mensure bladi tempore paschali sibi reddantur..., patet quod... usurarius est censendus, quia bladum est in paschate plus valiturum secundum communem cursum omnium regionum et communem opinionem que spectanda est... Si ergo vult esse sine culpa, contrahens emat de tempore ad tempus, puta de estate ad estatem, de vere ad ver, de autumpno ad autumpnum, de yeme ad yemen, vel aliud tempus de quo consciencia non cancellat*<sup>l275</sup>.

38. Dicunt INNOCENCIUS<sup>276</sup> et HOSTIENSIS<sup>277</sup> quod licitum est alicui emere victualia, ut tempore famis vendat eo precio quo emit, dummodo hoc faciat quia homines propter habundanciam ad gentes alias transportabant, vel quia debitam curam circa victualia non habebant. Si autem emant ut

<sup>j</sup> annonam om. G

<sup>k</sup> unum om. G

<sup>l</sup> cancellat] cancellet G; cautelet H. BOICH

regula in eo est observanda, cum culpa senioris suo exemplo non trahit ad interitum corda iuniorum. Ubi autem senior iuvenibus exemplum ad interitum prebet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est: 'Laqueus iuvenum omnes vos' et rursus: 'Maledictus puer centum annorum'».

270. G. DE TRANO, *Summa...*, p. 214<sup>rb</sup>.

271. *Ibid.*, p. 213<sup>rb</sup>.

272. *DG*, pars 2a, causa XIV, q. IV, c. 4 et c. 3 (FRIEDBERG, I, 736).

273. *Ibid.*, pars 1a, dist. XLVII, c. 2 (FRIEDBERG, I, 169 et 170).

274. *DG*, pars 2a, causa XIV, q. IV, c. 9 (FRIEDBERG, I, 737).

275. H. BOICH, *In quinque...*, dist. super V lib. Decret., p. 176<sup>b</sup>.

276. INNOCENTII IV *In quinque...*, l. III, tit. L, c. 1, p. 551<sup>a</sup>.

277. Cf. H. DE SEGUSIO, *S. A.*, f° 179<sup>vb</sup>.

[... X 5 18 de usuris, 19 naviganti]

Nullus ... (advocatus) dicit: qui annona velum nutuans  
 recipit non tam usuram committit sua meliorem recipere  
 possunt sic Ray - Hostis - non aucto committat sic ad hoc nutuans  
 ut proximo subveniat dummodo non auferat eis contributionem &  
 recipi se  
 nutuans  
 vult de hoc

carius vendant, nulla necessitate pensata, omnes peccant et gravius clericis quam laici et debent erogare tale lucrum in usus pauperum.

39. 7°. Item si aliquis emit huiusmodi, timens quod postea oporteat eum carius emere si indiguerit, et nichilominus tamen postea carius vendit, sicut communiter in foro venditur, quia non indiget sicut credebat, licitum est, secundum RAY<sup>278</sup>, GOFF<sup>279</sup>, INNOCENCIUM<sup>280</sup> et HOSTIENSEM<sup>281</sup>.

40. 8°. Multo forcius licitum est, si non emit ultra suam necessitatem vel emit ex pietate ut ex lucro vendicionis habeat unde provideat pauperibus, dummodo ita moderate hoc faciat quod ex hoc caritatem communitas non paciatur. Sed si fiat ex avaricia, ita quod unus tantum de huiusmodi rebus congregat quod compelluntur homines ab ipso emere ad libitum suum, et ideo [F, 138<sup>r</sup>] vendit adeo care sicut vult, enormiter peccat contra proximum et communitatem.

41. 9°. Dicit ARCHIDUS<sup>m</sup>, XIII, q. III, Nullus, quod istos non audeat condemnare qui ad hoc mutuam annonam veterem ut proximo subveniant et non ideo ut meliorem rem accipiant, dummodo non auferant eis libertatem liberandi se interdum, solvendo veterem, vel si probabiliter dubitat utrum plus vel minus [G, 116<sup>v</sup>] valitura sit tempore solutionis<sup>282</sup>.

42. Unde nota, secundum Thomam, q. LXXVII, q. CCCCXVII<sup>o</sup> quod [D, 225<sup>va</sup>] ad negotiatores pertinet comutationibus rerum insistere. Ut autem PHILOSOPHUS dicit in primo Politice<sup>283</sup>, duplex est rerum comutatio, una quidem quasi naturalis et necessaria, per quam fit comunicatio rei ad rem, vel rerum et denariorum propter necessitatem vite. Et talis comutatio proprie non pertinet ad negotiatores, sed magis ad yconomicos vel politicos qui habent providere vel domui vel civitati de rebus necessariis ad vitam. Alia comutationis species est denariorum ad denarios, non propter res necessarias vite, sed propter lucrum querendum et hec quidem negociatio ad negotiatores proprie videtur pertinere, secundum PHILOSOPHUM. Prima comutatio laudabilis est, quia deservit naturali necessitati. Secunda autem iuste vituperatur, quia, quantum est de se, deservit cupiditati lucri que terminum nescit, sed in infinitum tendit. Et ideo negociatio secundum se considerata quamdam turpitudinem habet, in quantum non importat de sui ratione finem honestum vel necessarium<sup>284</sup>.

<sup>m</sup> Archidus] Archidiaconus G

278. R. DE PEÑAFORT, *Summa*, l. II, c. *De usuris et pignoribus*, §9, p. 236<sup>a</sup>.  
 279. G. DE TRANO, *Summa* ..., p. 214<sup>vb</sup>.  
 280. INNOCENTIUS IV *In quinque* ..., l. III, tit. L, c. 1, p. 551<sup>a</sup>.  
 281. H. DE SEGUSIO, *S. A.*, f<sup>o</sup> 308<sup>vb</sup>-309<sup>ra</sup>.  
 282. La glose d'ARCHIDUS (*DG cum glosis*, pars 2a, causa XIV, q. IV, c. 6, col. 1052) est sans rapport avec la question traitée.  
 283. Cf. ARISTOTELIS *Politica*, l. I, c. 3 (*Opera*, t. I, p. 490-491).  
 284. THOMAE AQ. *S. th.*, IIa IIae, q. LXXVII, art. 4, in c.

Boluc  
 1182  
 que aucto  
 11 =  
 progressus = Archidiaconus

F. J. 337  
 Cou - Lou